

sterii nostri officium bona ecclesię, cui presidemus, dispersa congregare, congregata conservare laboraremus, decimas cuiusdam dominicalis in Ratoluesdorf et alias duarum villarum Rûte videlicet et Slagemarsdorf decimas a fratribus de monte sancti Michahelis in Babenberg velut non iuste possessas usibus nostris non inconvenienter, ut putabatur, adiecimus. Verum comprobato locum beati Michahelis ex antiquo venerabilem easdem decimas ante centum ferme annos legitime sibi collatas libere et quiete possedisse, ne in hoc vel antiquitati privilegiorum derogare vel alienis rebus nostras quod abhominabile est videremur cumulare, communi eorundem fratrum petitioni in generali capitulo nostro annuentes, immo et nostrę saluti prospicientes decimas illas libere et quiete per multa tempora ab eis possessas deinceps sine omni contradictione seu pervasione possidendas remisimus et restituimus. Et ne ab aliquo successorum nostrorum seu quorumlibet violentorum de cetero in sepedictis decimis inquietentur, nostrę auctoritatis beneficio, presenti videlicet privilegio, cum testium convenienti astipulatione addita quoque banni nostri interminatione, rata in posterum et inconvulsa tenenda hec rationabilis nostrę recognitionis facta generalis capituli nostri unanimi assensu comprobata communire curavimus.

Testes: Richolfus maioris ecclesię prepositus, Perseus decanus, Reinhardus prepositus novi monasterii, Heinrichus prepositus de Onoldesbah, Wernherus prepositus in monte sancti Iohannis, Pertolfus prepositus sanctę Marię in Moguntia, Albertus custos, Gotefridus cantor, Cûnradus cellerarius, Wecelo portenarius, Sifridus et Cûnradus capellani, Heinrichus Vachardus, Ulricus de domo. Laici: Marquardus de Grumbah et Otto filius suus, Albero de Tagesteten, Burcardus et frater suus Sigefridus de Ankersberg, Cûnradus de Bocchesberc, Billungus vicedominus, Heinrichus et Billungus sculteti, Heroldus camerarius, Iringus de Zabelstein, Tegenus de Mirspach et alii quam plurimi sub testimonio et presentia totius synodalis conventus II. kal. novembris feria III; acta anno dominicę incarnationis MCLXVIII, indictione II, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico anno imperii eius XIII, primo autem regni filii eius Heinrichi, Poppone urbano comite existente; feliciter amen.

II.

In nomine sancte et individue trinitatis. Heinrichus dei gratia Wirciburgensis episcopus. Superni iudicis cle-